

gant, atque adeò peccatis peccata accumulent. Inter alios *Origenes*, non prudenter minus quàm fortiter Christi exemplum expendens Tom. XXXI. commentarii sui in Joh. c. XI. 53. hunc in modum scribit: *Hæc & his similia scripta fuisse censeo, volente Jesu nos advertere, ne iracundiùs ac inconsideratiùs insiliamus in certamen mortis, pro veritate testimonium præbituri. Et enim honestum quidem est, si inciderit certamen proconfitendo Jesum, confessionem non differre, neque tardare mortem pro veritate oppetere. At non minùs, quàm hoc honestum, tali tantæque tentationi occasionem non dare, sed omnimodò vitare eam: non solùm, quia tanta rei exitus incertus sit nobis; verum etiam, ne nos occasio simus, ut magis peccatores magisque impii fiant illi, qui nondum sanguinem nostrum quidem re ipsa effudisse rei sunt facti, si quæ in nobis sunt, facientes, declinaverimus eos, qui insidias nobis vel ad mortem usque moluntur, sed puniendi aliòquin majori graviorique pœnâ nostri eausâ, si nostri amantes rebus illorum post habitis exposuerimus nos ipsos interficiendos, nullâ nos necessitate urgente. Nam etiam, qui alicui occasio peccati factus fuerit is pœnas dabit ob ea, quæ sui causa peccaverint aliqui homines, quomodo non etiam pœnas daturus est, qui, cum declinandi facultatem habebat, ne proditor ille Christiani sit hominis & insidiator cultus divini erga Jesum, non declinaverit? imò potius concitaverit? Possemus & plura loca Patrum allegare, sed quia proluxiora sunt, quàm ut hic adscribi conveniat, id unicum tantùm modò allegatum omnium loco nobis sufficere potest. Hæc igitur ratione Veteres illi Doctores hanc*

questio